



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Non Fallax

Segneri, Paolo
Pinamonti, Giovanni Pietro

Coloniæ, 1706

VD18 12375713-001

Quæ cæcitas mentis;

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50799)

tes ; si enim primi nostri parentes ob peccati virulentiam viperæ & serpentes dici meruerunt , quid poterant aliud generare, quàm venenatam, sibi-que similem progeniem? Infinitas tibi gratias, Christe JESU ! qui in Baptismo pretiosum sanguinis tui lavacrum nobis parâsti , in quo maculæ hujus turpitude ablui, & innata isthæc malignitas curari posset. Verum hoc tuum duntaxat est beneficium , noster autem non est, nisi reatus & demeritum; unde tibi soli gloria, nobis autem ignominia debetur : *Tibi Domine Iustitia, nobis autem Confusio*, Dan. 9. 7.

PUNCTUM II.

Cæcitas mentis

II. **C**onsidera, peccatum originale Cunâ cum nataliũ maculâ, summam etiam potentiarum & facultatũ omnium perturbationem in te concitâsse. Et imprimis quidem monstruosam in intellectu tuo cæcitatem renebrâs-
que

que Ægyptiis magis palpabiles peperit: Veritates naturales quod attinet, versaris quasi in mera caligine, & apertos quidem habes mentis oculos, ad eas discernendas, sed ex defectu luminis identidem hallucinaris, ad veritates autem supernaturales planè cæcus es. & uti suprà expensum est, sine gratiæ subsidio nec unicam quidem, eamque tenuissimam cogitationem formare potes, quæ ad salutem disponat ac proffit, atque adeò non tenebricosus solum, sed ipsissimæ tenebræ, nox pura & mera cæcitas es: *Eratis aliquando tenebra.* ad Eph. 5. 8. Nihil aliud nôsti, quàm creaturam Creatori præferre, amare bona caduca, & contemnere æterna, tenere viam perditionis, & aberrare à semita salutis: *Sapientes, ut faciant mala.* Jerem. 4. 22. Et tamen ob modicam, quam habes, scientiam naturalem, & tenues humanæ prudentiæ reliquias, videris tibi doctus, superbe propterea te circumspicis, & irasceris iis, qui tibi con-

tradi-

tradunt; non secus, ac si niger quidam æthiops ob modicum illud albedinis, quod in dentibus habet, crederet se miraculum candoris: *Arrogantia ejus, & indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus. Isa. 16. 6.*

PUNCTUM III.

Malitia voluntatis.

III. **C**onsidera, tenebras à peccato originali interrelictas, non esse, quales de nocte experimur, quæ scilicet recreant, & reficiunt hominem; sed quales experimur in Ecclipsi, quæ terrent & nocent: mentis enim nostræ cæcitas incredibilem voluntatis malitiam secum trahit, quæ nec finem habet, nec modum; solus Deus eam perscrutari, & comprehendere novit: *Pravum est cor omnium, & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor. Jerem. 17. 9.* Nos autem virulentiam pestis, quâ infecti sumus, ne utiquam assequimur. Consistit